



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

402. An, si major pars compromissariorum eligit scienter indignum, minor verò pars, vel etiam unus solus dignum, valeat hujus minoris partis electio; an vero cesset compromissum, & electio redeat ad ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

2. Respondeo secundò in specie, necessarium esse Primò, ut compromissum in genere compromissi sit validum. Secundò, ut compromissarii non excedant formam compromissi, & potestatis sibi commissæ. Tertiò, ut electio communis fiat ab eorum uno, dum plures sunt. *cap. sicut. h. t. in c. idque per verba numeri singularis, sicut & in electione per scrutinium. Pass. n. 22.* Quartò, ut in decreto electionis unus ex compromissariis dicat: *Ego Titius vice mea & sociorum compromissariorum* (si sunt plures) *virtute compromissi eligo Cajum.* *Pass. n. 24.* Quintò ut compromissarii non eligantur, nisi collegialiter unitis presentibus scilicet, qui debent, volunt, & possunt commodè interesse. *Pass. loc. cit.* Sextò, ut eligantur compromissarii (subintellige in compromisso absoluto) ab omnibus, nemine electorum contradicente. *Pass. n. 22.*

Quæstio 398. *An Electores possint revocare commissionem datam Compromissariis?*

Respondeo: id eos posse, re adhuc integrâ; *Rescus re non amplius integrâ. Sigism. c. in causis, ibid. Abb. n. 11. Barb. n. 4. Mirand. r. 2. q. 23. a. 34. concl. 3. Sigism. dub. 20. n. 7. Pass. n. 25. cum communi contra Gl. in c. in causis.* tum autem res in præsentem materiam adhuc est integrâ, cum compromissarii nondum attigerunt substantialia negotii, nimirum dum necdum ceperunt tractare de persona eligenda, licet inceperint actus quosdam alios, qui tantum sunt de solennitate, v. g. cantare missam de Spiritu sancto. *Barb. Sigism. ll. cit. Pass. n. 26.* Porro etiam re adhuc integrâ revocari non potest data potestas compromissariorum, nisi à majore parte Capituli. *Abb. in c. in causis. n. 16. Felin. in c. de major. & obed. Sigism. l. cit. Pass. n. 27.* remanente semper apud minorem partem facultate rationabiliter opponendi contra defectus compromissariorum. *Pass. loc. cit.* qui tamen etiam præcisè ob infamiam puri facti rejici non poterunt; cum hæc infamia non vitiet electionem. *Sigism. loc. cit. n. 11. Pass. n. 28.* Sed neque re adhuc integrâ, etiam à majore parte revocari potest compromissum, dum data est compromissariis facultas ista gratiâ & favore ipsorum, nimirum ut electores illos hac ratione honorent (in dubio autem non censetur illis hoc modo donata hæc potestas. *Lavor. c. 19. n. 23*) habet se enim tunc hæc collatio per modum donationis irrevocabilis. *Abb. & Gl. in cap. in causis. Biax. p. 3. c. 19. n. 2. Pass. num. 30.*

2. De cetero, ut potestas hæc re integrâ adimatur compromissariis, requiritur revocatio expressa, intimata compromissariis. *Abb. in c. in causis. Biax. loc. cit. n. 3. Pass. n. 31.* nec sufficit revocatio tacita, nisi in hoc casu, dum Capitulum re adhuc integrâ prius eligeret, quàm compromissarii inceperint tractare de electione; cum re integrâ potestas adhuc remaneat apud Capitulum; unde dum illud tunc eligendo utitur potestate suâ, locum non habet electio subsecuta compromissariorum, licet hi electionem à Capitulo factam ignorassent. *Biax. & Pass. ll. cit.*

Quæstio 399. *An compromissum sit validum, si compromissarii eligantur à Superioribus, vel ab uno aliquo Capitulari, reliquis tacentibus, & non repugnantibus?*

Respondeo negativè: in rebus enim arduis magna que importantia debent omnes singulatim

interrogari, & expressè consentire, & in re onerosa & gravi taciturnitas non habetur pro consensu. *Abb. in c. in causis. n. 3. Biax. p. 2. c. 19. n. 2. Lambert. loc. cit. a. 17. Sigism. dub. 22. n. 1. Pass. n. 32.* Verùmque idipsum est, etiam si singuli de Capitulo vocarentur, sed non daretur eis intervallum, in quo nedum possent respondere, sed commodè & prudenter deliberare & contradicere; quia taciturnitas post responsionem non statim habetur pro consensu. *Innoc. in c. cum in cunctis. h. t. Gonz. ad reg. 8. cancell. gl. 46. n. 40. Sigism. dub. 22. n. 4. Pass. n. 35.* citans quamplurimos alios. Neque obstat, quòd ubi in Capitulo tractatur aliquid illicitum & damnabile, qui sunt in Capitulo, teneantur illud expressè contradicere; nam hoc ad summum verum est, quantum ad vitandam culpam: sed nec hæc incurritur, aut tacens haberi potest pro consentiente, dum Capitularis tacet, quia videt se loquendo nihil profecturum, vel à numero sufficiente vocalium negotium illicitum jam esse conclusum. *Abb. in c. in causis. Pass. n. 37. citans Biax.*

Quæstio 400. *An ubi unus solus est compromissarius, is possit se ipsum eligere?*

Respond. negativè. *Gl. in c. cum in jure. h. t. Pass. n. 38.* cum communi. Verùmque idipsum est, etiam si compromissarius jurasset se electurum digniorem, & ipse esset evidenter melior; censetur enim adhuc ambitiosus, & hinc repellendus. *c. in Scripturis. 8. q. 1. Pass. n. 39.* neque ipse cadit sub isto juramento, sed intelligitur exceptus, *Pass. ibi.* quia in generali sermone loquens non comprehenditur *c. petrio. de jurepar. Gl. in c. cum in jure.*

Quæstio 401. *Num ubi compromissarii sunt plures, possint eligere unum ex suis, seu ex seipsis?*

Respondeo primò: si compromissum sub hac forma, ut compromissariorum unus possit eligi, valebit ista electio. *c. cum in jure. h. t.* Imò sufficit, quòd sit electus à medietate aliorum compromissariorum, & ipse consentiat electioni; consentiendo namque augebit numerum suffragiorum, ita ut jam evadat Electus à majore parte supra medietatem. *cit. c. cum in jure.* Verùm intelligendum hoc de electione, in qua servanda non est forma *cap. quia propter.* nam tunc, si electio fiat per vota publica, is qui se videt electum à medietate eligentium, potest suo consensu augere numerum, absque eo, quòd ex hoc ambitiosus censetur; si autem fiat per vota secreta, poterit adhuc publicatis votis, mutato voto suo, consentiendo suæ nominationi, accedere ad medietatem, & sic augere numerum. *Sylv. v. Electio. n. 20. Pass. n. 42.*

2. Respondeo secundò: si forma compromissi est exclusiva, nimirum ut nullus compromissariorum eligatur, non valebit talis electio. *Pass. n. 43.*

3. Respondeo tertio: si compromittendo nec expressè datur facultas eligendi unum ex compromissariis, nec illa facultas expressè adimitur, valere adhuc talem electionem. *Lavor. cap. 19. n. 36. Pass. n. 43. citans Abb. Archid. Innoc. Host. contra Sylv. Tancred. &c.*

Quæstio 402. *Num. si major pars compromissariorum eligat se inter indignum, minor vero pars vel etiam unus solus dignum, valeat*

valeat huius minoris partis electio; an vero cesset compromissum, & electio redeat ad Electores?

Respondeo: non valere tunc electionem, eamque tunc redire ad Capitulum, Sylv. v. electio. q. 2. n. 25. Lavor, de elect. c. 21. n. 51. Pass. n. 46. contra Abb. in c. cum in iure. n. 7. Tabienam, v. electio. q. 2. n. 6. & alios censentes in isto casu maiore parte compromissariorum privatam voce (nam & hi eligentes scienter indignum privantur potestate eligendi. c. si compromissarius. h. t. in 6. electionem factam à minore parte dici posse factam ab omnibus, neque delictum maioris partis debere nocere minori parti, ita ut potestas data redeat ad Capitulum; Verum ratio responsionis est, quod cum electores ideo elegerint tres v. g. compromissarios, quia noluerunt ligari ad unum, seu considerere iudicio unius solius, electio digni facta ab uno non est secundum formam compromissi; adeoque etiam isti uni, vel minori parti non fit iniuria, quia jam non admittitur illi, quod ei datum fuerat; quippe non compromiserunt electores stare illius solius iudicio. Pass. l. cit.

2. Porro redire quoque potestatem eligendi ad Capitulum, dum compromissarii ignoranter elegerunt indignum, tenet Sylv. loc. cit. Barb. & c. ad c. si compromissarius. n. 2. Cuch. l. 4. c. 38. & quod hinc infert Pass. n. 47. in genere; quotiescunque electio facta à compromissariis, est ipso iure nulla, si eam potestatem Capitulum non ratificet, reditque ea iterum ad Capitulum, & potest hoc iterum eligere, non expectato confirmatoris iudicio; si tamen necdum expiraverit tempus datum electoribus ad eligendum. Pass. loc. cit. si enim compromissarii non eligant intra tempus statutum, electio devolvitur ad Superiorem. c. si compromissarius. h. t. in 6. Lavor, loc. cit. Pass. n. 48. Ad hæc compromissarii eligentes indignum puniuntur suspensione per triennium ab omnibus beneficiis, quæ obtinent in ecclesia, quam eligendo indignum offenderunt, quæ tamen pœnalocum non habet, nisi in electione Episcopi, vel Episcopo Superioris, neque etiam in alia electione, si compromissarius sit Episcopus, cit. c. si compromissarius. h. t. in 6. ibidem Barb. n. 7. Pass. n. 49.

Questio 403. Num si Electus per compromissum, non consentiat electioni, redeat ad Electores?

Respondeo affirmativè. cap. si compromissarius. Cuch. Sigism. Barb. apud Pass. n. 50.

Questio 404. Num compromissarii possint eligere extraneum?

Respondeo: etsi melius sit cæteris paribus eligere de gremio. c. quod sicut. h. t. absolute tamen possunt eligere personam de quocunque loco, si nec à lege aut consuetudine, nec ex forma compromissi (quæ lex vel forma aliàs servanda est) sint ligati. Sylv. loc. cit. n. 26. Pass. n. 51.

Questio 405. Num si ipse confirmator sit compromissarius, possit uno eodemque actu eligere, & confirmare?

Respondeo: negat Abb. in c. causam. h. t. n. 6. Jo. And. Butrio. Sylv. eo quod eligere & confirmare conveniat tunc confirmatori ex diverso iure. Affirmat contra Pass. n. 52. eo quod ex di-

stinctis virtutibus possit procedere idem actus, habens ab utroque valorem, & institutio simul sit electio, fiatque frustra per plura, quod potest fieri per pauciora; sic itaque posse Episcopum compromissarium uno actu simul eligere, & instituire, v. g. Abbatissam.

Questio 406. Num Regulares possint compromittere in Superiorem?

Respondeo affirmativè Peyr. tom. 3. c. 3. n. 8. citans Abb. & alios: Respondet negativè Pass. n. 53. eo quod sustineat & probet Regulares vi concilii Trid. non posse eligere per formam compromissi.

Questio 407. Quenam sint de substantia electionis per communem inspirationem?

Respondeo: primò fieri debet ab omnibus electoribus nemine non consentiente in eandem personam. Abb. in c. quia propter. Biax. p. 3. c. 16. n. 3. Pass. c. 23. n. 1. Secundò sine ullo prævio tractatu. AA. iidem. Quamvis non obstat tractatus generalis de persona idonea eligenda; sed neque tractatus particularis de hac vel illa persona eligenda, dum postmodum repente excitati omnes, nullo dissentiente, alium eligunt, de quo nulla fuit facta mentio in præcedente tractatu. Sigism. dub. 2. n. 6. Pass. v. electio. n. 5. Pass. l. cit. Tertio, multòq; magis sine prævia ullius nominatione; dum enim quis proponitur à præside vel alio, electio censetur ex inspiratione humanâ, adeòq; requiritur, ut vel tutatim ab omnibus per verbû *eligo*, vel ab uno aliquo incipiente, quæ mox omnes subsequantur, fiat. Sigism. Bass. Pass. l. cit. Quarto, quod commune est huic electioni cum aliis, ut ex commissione vel determinatione legis aut Capituli unus vice omnium eligat, & electionem perficiat, iidem AA. l. cit. Biax. p. 3. c. 16. Mirand. tom. 2. q. 23. a. 42.

Quest. 408. An sit Electio per communem inspirationem, si unus Elector sit absens & contemptus?

Respond. negativè Biax. p. 3. c. 16. Butr. in c. quia propter. n. 1. Tusc. lit. E. concl. 74. n. 2. Sigism. dub. 2. n. 6. talis enim absens est de numero eligentium, & si raram habet alterius electionem, præsumitur hoc facere persuasus à facto aliorum, & non ex DEI instinctu. Pass. n. 2.

Questio 409. An sit electio per communem inspirationem, si qui consensit ex primo impulsu motus, dum adhuc potest variare votum, peniteat, & votum revocet?

Respondeo negativè; jam enim non est electio uniformis, seu unanimis. Pass. n. 3. Potestque id ipsum contingere etiam in scrutinio secreto per schedas, dum nimirum postquam dedit schedam, dicat Capitulo, se non persistere in voto dato, etsi id dicat ante publicationem scrutini, nihil refert, quod sciri non possit, quæ fuerit ejus scheda. Pass. n. 16.

* * *

Qua-